Quintum ita diserte iam in acie stantem, cum irruentem
nunc in adversus, nunc in directum fulminantem deseri-
ret; dixit inter alia, utinam adfuissent tunc nigri, vi-
dissent quanta Maiestas, quantus decor ex barba illius
effulsisset. heus bone Vir quid ais? at galea erat te-
ctus, quomodo ergo Maiestas ex barba apparebat? sed
iam Adonis cum rubra barba adest, in adversarij tamen
perniciem: Attendite enim obsecro vos Aud: R. quàm bene
suis retibus vulpes hoc rubra, et acuta seipsam implicet: Poë-
tis atque pictoribus semper ea fuit consuetudo, ut delicatulos i-
stos, et Narcissulos, et Hyacinthulos, et si quis alius impudicu-
lus, ut inquam isti enerves, et imbelles Adonides, qui tantope-
re rubris placent, moris, inquam, fuit ut hi rubro colore pinge-
rentur: En causa cur rufi laudentur, quia pulcher ille A-
donis ruber pingebatur, fuit, fateor, fuit ruber, sed si
aliquid quamvis modicum a Poëtis didicisti, fatere fuisse ru-
brum sed impudicum, fuisse rufum, sed imbellem, rufum, et scele-
ratum, nigri verò quos dum vituperas erubere posse existimas,
ij sunt quibus debet Ecclesia, prostrata Haereseos arma, fidei
erecta propugnacula, sceleratorum mendacia eversa, dissipata,
atque profligata, veritatis insignia, stabilita, radicata, et ad omnes
inimicorum impetus fortiter sustinendos constanter confirmata;
quomodo hoc? vis audire? dicam si ignoras: Quid Thomas
Aquinas, quid Magnus ille Gregorius, quid Augustissimus ille
Augustinus? nonne nigri fuere? hiant, respondeant nunc
rubri, refutent audacter, nervosè, et si libet impudenter, dicant
nunc proverbium esse infausto carbone notata fuisse, at ego